

Si dederint, et vos gaudia pacta date!
 Illa potest vigiles flammās extinguerē Vestae
 Et rapere e templis, Inachi, sacra tuis
 465 Et dare mixta viro tritis aconita cicutis,
 Accepto Venerem munere siqua negat.
 Fert animus propius consistere: supprime habenas,
 Musa, nec admissis excutiare rotis!
 Verba vadum temptent abiignis scripta tabellis,
 470 (Accipiat missas apta ministra notas)
 Inspice, quodque leges, ex ipsis collige verbis
 Fingat an ex animo sollicitusque roget,
 Postque brevem rescribe moram! mora semper amantes
 Incitat, exiguum si modo tempus habet.
 475 Sed neque te facilem iuveni promitte roganti
 Nec tamen e duro, quod petit ille, nega!
 Fac timeat speretque simul, quotiensque remittes,
 Spesque magis veniat certa minorque metus.
 Munda sed e medio consuetaque verba, puellae,
 480 Scribite: sermonis publica forma placet.
 A! quotiens dubius scriptis exarsit amator,
 Et nocuit formae barbara lingua bonae!
 Sed quoniam, quamvis vittae careatis honore,
 Est vobis vestros fallere cura viros,
 485 Ancillae puerique manu perarate tabellas,
 Pignora nec puero credite vestra novo:
 Vidi ego fallentis isto terrore puellas
 Servitium miseras tempus in omne pati;
 Perfidus ille quidem, qui talia pignora servat,
 490 Sed tamen Aetnaei fulminis instar habet.
 Iudice me fraus est concessa repellere fraudem,
 Armaque in armatos sumere iura sinunt:
 Ducere consuescat multas manus una figuras
 (A! pereant, per quos ista monenda mihi),
 495 Nec nisi deletis tutum rescribere ceris,
 Ne teneat geminas una tabella manus;
 Femina dicatur scribenti semper amator:
 Illa sit in vestris, qui fuit ille, notis!